

80

*M. G.*

Rubr. XVIII. Nro. 32. C.

**Gymnasial - Bibliothek**

zu Cöthen.

9

# DE INSTITUENDO POLY- MATHIÆ STUDIO.

AD DISCIPULOS.

---

Ut indicaret examen 1791. XI. Apr. hor. 9.  
antem. habendum scripsit  
C. F. R. Vetterlein, Reft.

---

Cothenii, litteris Schöndorffianis.

8

DE INSTITUENDO POLY-  
MATHIC STUDIO.  
AD DISCIPULOS

Ex libris collectoris etiamen 1721. XI Apri anno 3.  
Institutum insperandum scripsit  
G. F. R. Vosselerius Regi

Copiam illius Schriftotauri.

**C**um semper ab æquitate lectorum sperasse-  
mus, fore ut hoc nostrum consilium in  
hunc programmatum libellis præcepta de studi-  
orum ratione tradendi probaretur, scripsimus &  
antea talia quædam & nunc plura addere decre-  
vimus, quibus in regendis litterarum studiis u-  
terentur iuvenes. Nam & præceptoris est præ-  
cipere & nos quidem cum miro teneremur Lo-  
gicarum rerum amore, non putavimus a nobis  
alienum, nostrum his rebus impendere laborem.  
Sed tamen quam bona & solida ea sint, judici-  
um penes lectorem esto! — Atque hoc qui-  
dem tempore adhortamur doctrinæ studiofos ad  
polymathiam sapienter colendam, sed olim o-  
stendendum erit, quam noxiū & insanū sit

4

---

immoderatum litterarum studium, nullis limitibus circumscripsum, & vana illa pansophia, quam denuo nostra ætate multi adfectant.

Polymathiam igitur sive eruditionem multivariam cum studiis commendamus adolescentium, illud volumus, ut omnium artium liberalium sibi aliquam parent notitiam, & neque studio artis quam vocant practicæ neque uni tantum ceterarum disciplinarum unice incumbant, sed ut ad aliarum quoque artium, quæ ad humanitatem pertinent, vel omnium vel multarum saltem historicam & elementarem adspirent peritiam. — Etenim studere litteris constat fere his duobus, cognitione & exercitatione. Cognitionis rursus duo genera sunt: aut studium longum & constans unius cuiusdam scientiæ, ita ut principia omnesque ejus partes, & totum quasi ambitum cognoscamus, aut initiorum & elementorum tantum agnitio, quale vel ex vi alicujus præceptoris institutione vel legendis paucis quibusdam libris possumus haurire. Nam cum unaquæque fere ars & scientia tam difficilis sit & longa, ut tota hominis ætas vix sufficiat.

sufficiat ad unam aliquam penitus cognoscendam, ut & ejus principia & omnes partes comprehen-  
damus animo, usuque & experientia confirme-  
mus; quoniam sine experientia omnis cognitio  
manca est; cumque universæ eruditionis studi-  
um & vanæ amor Pansophiæ maxima afferat ma-  
la & ipsam prorsus miseriam, apparet, homines  
litteris deditos debere unam modo aut paucas  
quasdam sibi sumere disciplinas, quas majore  
cura proque viribus colant, easque cum maxi-  
me ipsis necessarias, tum ingenio convenientissi-  
mas maximeque aptas; ceteras vero omnes an-  
gustis circumscribere terminis ita ut non nisi ini-  
tia & utilissima quæque attingant. — Ante  
omnia igitur quærendum est, primum quæ sint  
necessariæ, quæve plurimum ad bene beateque  
vivendum valeant artes & scientiæ; deinde qua-  
le ipsi ingenium qualemve habeant animi indole-  
rem, itemque quæ sit singularum artium natu-  
ra & descriptio: quibus cognitis facile videbunt  
quod studium ingenio cujusque maxime conve-  
niat. Quod enim nostræ naturæ convenientis-  
simum est, id in deliciis habere & tanquam pri-  
marium colere debemus studium; in eoque &

ad

ad summum tendendum & pro gloria laborandum est.

Inter omnes igitur scientias artesque ex nostra quidem sententia necessaria est primum, quæ vulgo practica dicitur, quæve ad vitam a iendam munusque ornandum opus est: in quo externa vitæ bona queruntur; deinde, cum his vel maxime ornati non semper tamen ipso animi sui sensu beati sint, accedat alia quædam necessaria ars, si modo ea ulla est, qua vitæ beatæ rationem cognoscamus & cognitam adipiscamus. Ea autem est, nisi & doctissimi & optimi omnis ætatis viri falluntur, ethica sive doctrina morum. In hac igitur non satis est elementarem & superficiariam habere scientiam; sed ad prima ejus fundamenta & fontes accendendum est; & principia, quibus bene vivendi præcepta nituntur acri cura & studio examinanda sunt, ut certo sciamus, num solida beatæ vitæ fundamenta sint posita: quo facto delineationem & quasi systema vivendi poterimus adumbrare. — Sed cum instituta humana, sententiæ, opinionesque quibus reguntur vivuntque homines, ceu res hereditariæ, ab uno mortali-

um

7

um genere & ætate ad alterum soleant traduci;  
cum & quæ agunt & quæ sentiunt plerumque,  
non ex sana ratione sensuque veri & recti profi-  
ciscantur, sed ex opinionibus receptis & consue-  
tudine mera, viri docti est & prudentis nisi in  
doctrina de vita instituenda turpiter velit labi &  
errare, biennio vel triennio tandem ad hanc  
rem sibi sumto, se ipsum, naturamque suam, ho-  
mines & singulos & omnes totumque hoc rerum  
humanarum & divinarum systema ingenua indu-  
stria considerare & omnia examinare quæ ante-  
hac de unaquaque re sentire solebat. — Qui-  
bus probe factis de adornando jam systemate &  
ratione vitæ poterit cogitare, fundamentisque  
rite positis ædificium superstruere & firmissimum  
& pulcherrimum. Sciet enim & amabit & quæ  
ipſi bona quærenda & quæ genus humanum &  
societatem possint juvare. Et studium quidem  
hominis docti princeps & omnium maximi mo-  
menti, quo destitutæ artes cæteræ ad unam om-  
nes plane nihili sunt, hoc est. Hac autem do-  
ctrina instructus tanquam regula ceteras omnes  
potest metiri & quanti quæque sit aestimare. —  
Videntur autem in eo homines satis esse fortu-  
nati, quod hæc doctrina & philosophia morum

non

non adeo difficilis est & obscura ut totam ætatem in ea cognoscenda deberent consumere: modo rejectis vulgaribus in hac re ducibus, miseraque superstitione, ipsi propriisque viribus, solius de natura humana scientiæ ope, velimus quid verum sit quærere. Neque enim ad hoc velut privatum ethices studium proprioque usui necessarium opus est tam multorum annorum opera tantisque litterarum monumentis quanta adhibenda sunt ad studium ejusmodi in quo quis vel ad summum venire vel scribendis libris vult quærere gloriam. — Quæ cum & de arte litteratorum practica valeant: quæ ut ad vitam adhibeatur, non tam profunda, hausta ex libris doctrina opus est, qualis publicorum solet esse doctorum: apparet ex his omnibus, studiosum litterarum tres quasi ordines disciplinarum suarum facere debere ratione nempe multitudinis rerum descendarum. — Primo igitur loco ponendum est necessiarum rerum studium, quæ duobus scientiis complectuntur, quarum una *practica* cuiusque ars est, altera *doctrina morum*; secundo loco *disciplina* quedam certa & una ingenio cuiusque conveniens & primaria; & tertio

tio cognitio ceterarum bonarum artium sed elementaris & quatenus non adeo magno temporis & laboris impensu parari possunt quæ utilia pulchraque habent, h. e. quæ simul collata *Polymathiam* efficiunt; sed horum magna pars, præfertim historica ad illam de qua loquuti sumus rerum omnium considerationem & observationem pertinet, quibus doctrina moralis superstruenda est. „At si vir doctus studium aliquod unicum sibi primarium facere debet, quod sive in deliciis habeat, sive ad gloriam famamque impensis colat, quomodo istæ tres ordines constabunt, sumta ad id vel moralè vel practica cujusque arte? Licetne vel disciplinam morum, vel alteram, qua in munere publico opus est, in deliciis habere & tanquam primarium vitæ opus tractare?“ Licet sane, sed non est necesse, nisi alterutra maxime omnium artium ingenio conveniat. Non enim quæ disciplina in genere optima est statim singulorum est commendanda studio primario & perpetuo; & satis est, in doctrina morum tantum profecisse quantum boni & hominis est & civis.

Hanc

Hanc igitur polymathiam sive multorum variarumque rerum scientiam, hisce circumscrip-  
tam limitibus, non sine multis causis litterarum studiosis commendamus. Unam quidem jam attigimus. Etenim si exploratum esse nobis debet, quænam ex tanta disciplinarum multitudine potissimum nostro ingenio conveniat, quando eligere volumus, in qua maximo cum fructu opera nostra collocetur, necesse est ut omnium rerum discendarum & eruditionis universalis notitiam habeamus, sed elementarem & encyclo-  
pædicam. Delectum enim habere non potest, nisi qui multas ejusdem generis res cognoverit. Hinc est quod erudit tam multi ope polymathiæ destituti in studiis male selectis invitaque Minerva suscep-  
tis operam perdant. — Alia quædam polymathiæ colendaæ causa in eo est, quod ceteris disciplinis ignoratis, nec unam quidem possumus perdiscere, propterea quod singulae ceterarum ope indigent, aliasque aliam aut fundamenti loco ponit aut tanquam instrumen-  
to utitur. Notitiae enim historicæ materia sunt scientiarum, ut nunc dicunt, theoreticarum; hæ vero quodam omnes continentur vinculo & multis modis inter se connexæ sunt. Universa-  
lis

lis igitur eruditionis peritia, quamvis elementari adjuvamur in primariae scientiae studiis; augereturque in ea ipsa judicij acumen, cognitis aliquatenus & ceteris, imprimis quæ cum illa sunt cognatae. Solent enim qui ceterarum rudes unisemper incubuere disciplinæ parum solide judicare; circa res vero ab arte sua paullo remotiores miris saepe ridiculisque tenentur erroribus.

— Sed quid opus est, homines integræ incorruptæque indolis cogere ad polymathiam, i. e. rerum multarum scientiam, cum ipsius animi ductu naturalique ὁρμη eo impellimur? cognoscere res, id ipsum dulce est, scientia sua sponte jucunda; polymathia igitur sive multarum rerum peritia locum habet inter prima naturæ humanæ bona. Hinc est quod litterarum studia vitam ipsam possunt reddere dulcem, res secundas ornare, adversis vero solatia & perfugium præbere. — Quod si præter eam disciplinam, cui plurimam operam damus, ceteris quoque, quarum initia conjuncta faciunt polymathiam, ita studeamus, ut diximus; multum ad ipsam humanitatem illa valebit: ut quæ a philosophia morali, rerum discendarum regnatrice, ad veros vitæ usus referantur. Non enim dubi-

dubium est, quin sapiens, qui omnia refert ad honestum, singulas, quas didicerit res artesque quarum initia cognoverit, in eundem virtutis usum convertat; quidquid igitur vel a Grammaticis sumat vel ab Historicis rerumve naturalium doctoribus, id omne naturae convenienter accommodat ad ideam speciemque viri boni & perfecti quam animo concepit.— Et cum librorum lectio etiam ad animi remissiones oblectationesque adhibeat, apparet neminem tam bene otium ad eam rem posse conferre, quam polymathiae a nobis descriptae amicum. Solet enim cum hujusce polymathiae studio simul librorum bonorum cognoscendorum amor esse conjunctus; quod qui initia artium tenent, litterarum ad eas subsidia amare solent: quo sit, ut & idoneos otiosque suis aptos sciant libros & quæ professe simul & delectare possunt, libenter legant. Quæ vero libentissime legimus ea optime tenuimus memoria; ergo vel hæc oblectandi legendis libris ratio ad ipsam polymathiam augendam valet.

Hanc igitur studiorum rationem & designationem fecutus vitam activam cum contemplati-

plativa poterit conjungere; & agendo philosophari & discendo res gerere; satisfacere item muneribus, curam habere suorum, operam dare amicis, vivere sibi, oblectare animum, frui otio & ex ipsis libris petere voluptatem. Neque enim qui nostra hæc consilia sequitur, utilium rerum polymathiam negligere cogetur, nec doctrinam morum poterit dediscere, sed addita exercitatione in vitæ usu eam perficiet; nec vel ad primariam aliquam disciplinam, quam potissimum sibi exornandam sumsit, deficiet eum tempus. Facile enim erit videre, quæ negotia litteræque quibus anteferenda sint? quantum in quaque arte discendum, quomodo studia literarum rebus gerendis sint interponenda, ita ut mutuo auxilio adjuventur. Reficitur enim animus mutato solum labore; si vero & corporis & animi viribus frequentes damus remissiones, crebrisque oblectamentis variare solemus labores, tum aucto semper vigore animi, ad studia redire possumus.

---

Indi-

desi-  
ntem-  
plati-



**I**ndicamus nunc nostræ scholæ examen. Versati sunt anno abhinc præterito nostræ classis discipuli, multæ laudis juvenes, imprimis in his lectionibus: Virgilio, Terentio, Horatio, Cicerone, Livio, Luciano, Plutarcho, Xenophontis Memorabilibus Socratis, Homero, Geographia, Odis Ramlerianis, Isagoge Gesneriana cum notitia bonorum librorum; quarum rerum nonnulla dabunt specimina, orationes simul habituri: *Wilh. Kohl*, Fürstenbergensis, de laudibus gentium meridionalium vulgo neglegtis. *Fried. Lud. Richter*, Dessaviensis, de Græcis vetustis comparatis cum hodiernis. *Willh. Rindfleisch*, Coth. de neglegtis olim Classicorum veterum studiis; *Fried. Rindfleisch*, de artibus elegantioribus. Et hi quidem ipsi suas composuerunt orationes. — *Aug. Bramigk*, Cothen. de diversis gentium moribus. Horum W. Kohl, Willh. & Fried. Rindfleisch abituri sunt in Academiam.



AB 155562


ULB Halle  
005 301 36X

3



Sb.





XI. Apr. hor. 9.

tripfit  
n, Rect.

dorfianis.

B.I.G.